

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

De concordia Fidei cum Scientia.

Selecta ex bibliothecis et archivis. De origine Turcarum.
Horae subsecivae. Columbus altero orbe divinato ad ignotas terras in navem ascendit.

De poesi quae dicitur aulica.

Budus qui Italice dicitur: *La corsa nel sacco*; seu «*Certant qui currere in sacculo inclusi*».

Paroemiae sive Adagia. Utre terreri. — Domesticum thesaurum calamnari. — Mihi istie nec seruit, nec metitur.

Vaticana muralis pictura Constantini Caesaris pugnam referens contra Maxentium ad Romanum.

Ad sanitatem tuendam.

Acta Pontificia. Sanctissimi Domini Nostri Pii PP. X Motu proprio de Catholicorum in exteriores regiones emigratione.

Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. Ex Congregatione Consistoriali. — Ex Congregatione de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis. — Ex Congregatione de Religiosis. — Ex Congregatione Rituum.

Diarium Vaticanum. Coram SSmo. admissions. — Pontificiae electiones. — Vita funeti viri clariores.

Annales. — Libycom bellum. — Turcarum interna negotia. — Mauritanae res.

Publici per orbem coetus legibus ferendis.

Per orbem.

Libri recens dono accepti.

Aenigmata.

Appendix; Ad Romanam.

DE CONCORDIA FIDEI CUM SCIENTIA

Quaenam et quae controversiae circa Fidei scientiaeque concordiam hisce nostris diebus exortae fuerint, ex librorum copia de Fide scientiae tractantium, qui in lucem prodiere, manifeste appareat. (1) Paucis abhinc diebus, Paulus Bourget in libro, cui titulus est: *Pages de critique et de doctrine*, merito asserebat «principia fundamentalia Fidei, cum scientiae principiis optime cohaerere». Contra Paulum Bourget, Scipio Sighele insurgit atque fatetur mirandam esse huiusmodi assertionem, quum historia humana universa nonnisi de conflictibus inter utramque existentibus loquatur, quumque ipsemet Ferdinandus Brunetière ad dubitantes animas sublevandas asseruerit «actum esse de scientia».

Nobis consilium est, tres circa Fidei scientiaeque concordiam solvere quaestiones; videlicet:

a) An Fides et scientia mutuo sibi contradictant.

b) An Fides et scientia seiungendae sint.

c) An in eadem intelligentia respectu eiusdem veritatis Fides et scientia amico possint foedare consociari.

* *

Modernistarum responsio ad primam quaestionem, scilicet «an Fides et scientia mutuo sibi contradictant» in propositione 65^a syllabi Pii X continetur, et huiusmodi est: «Catholicismus hodiernus cum vera scientia componi nequit nisi transformetur in quemdam christianum non dogmaticum, idest in protestantismum latum et liberalem».

Modernistarum sententia Conc. Vaticani (Sess. 3, c. 4, *de Fide et ratione*, Denz. 1645-46) doctrinae contradicit, quum Concilium affirmet: «Verum etsi Fides

sit supra rationem nulla tamen unquam inter Fidem et rationem vera dissensio esse potest: quum idem Deus, qui mysteria revelat et Fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit: Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere.... Abest ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat... Nec sane ipsa vetat, ne huiusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo». Rursus nimia asseritur facilitate conflictus ille, quia:

a) Veritates Fidei ac veritates scientiae ad distinctum utique ordinem, non autem oppositum pertinent, quum primae mentis humanae capacitatem excedant; secundae eidem menti proportionentur.

b) Utraque veritas ab eodem fonte promanat; a Deo quidem supernaturali modo, idest per revelationem, homini loquente est veritas Fidei; a Deo autem naturaliter loquente per lumen naturale intellectus, est «veritas scientifica».

c) Distinctus utique, non autem oppositus, est processus ad utramque veritatem pervenendi; ad veritatem siquidem Fidei supernaturali pervenitur auxilio, ad veritatem autem «scientificam» nonnisi naturali modo.

* * *

Circa secundam quaestionem «an Fides et scientia seiungendae sint» affirmative respondendum esse censem Modernistae, immo irreverenter fatentur, «illogice (1) in Pii X Epistola *Pascendi* de hac sententia reprehendi... Modernistae enim hodiernae psychologiae plene consentientes aperte distinguunt scientiam a Fide... Fides enim id unice spectat, quod scientia *incognoscibile* sibi esse profitetur... Scientia versatur in phaenomenis, ubi nullus Fidei locus; Fides e contra versatur in divinis, quae scientia penitus ignorat».

(1) Hinc libri: *Science et Religion*; *Science et foi*; *Scienza e fede*; *Conflitto fra scienza e fede*; *Rapports entre la philosophie et la foi*; *Glaube und Wissen*; *Vom Wissen vor dem Glauben*, etc.

(1) *Programma dei Mod. § 2, Scienza e Fede*, Epistola «Pascendi».

Modernistarum error a Pio X in praefata Epistola per huiusmodi verba damnatus fuit: « Quae omnia, Venerabiles Fratres, contraria prorsus sunt iis quae Pius IX decessor Noster tradebat docens (Brev. ad Episc. Wratislav. 15 Iunii 1857) philosophiae esse, in iis quae ad religionem pertinent, non dominari sed ancillari, non praescribere quid credendum sit, sed rationabili obsequio amplecti, neque altitudinem scrutari mysteriorum Dei, sed illam pie humiliterque revereri ». Rursus utilitas non levus est Fidem ac scientiam non seiungere; quum recte, occasione libri L. Gaultier, V. Ermoni (1) animadverterit, « Scientiam et Fidem mutuo sese ad invicem adiuvare ac de facto scientiam ad Fidem ducere, Fidemque ipsammet scientiam regere ». Nonne Angelicus scribit (2): « Salubriter divina providit clementia, ut ea etiam quae ratio investigare potest, fide tenenda praeciperet; ut sic omnes de facili possent divinae cognitionis partecipis esse, et absque dubitatione et errore »? Nonne Vaticanum Concilium (Sess. 3 et 4, *de fide et ratione*, Denz. 1646) de scientia ac Fide ait: « Opem sibi mutuam ferunt, quum recta ratio Fidei fundamenta demonstret, eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; Fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat »?

Ad tertiam quod attinet quaestionem, an videlicet eadem in intelligentia, respectu eiusdem veritatis Fides et scientia amico possint foedere consociari, diversa est responsio. Qui per motiva credibilitatis demonstracionem proprie dictam, quae evidentiam parit intellectumque vincit, circa veritates fidei posse haberi tenent, tenent quoque in eodem intellectu respectu eiusdem veritatis Fidem et scientiam simul coesistere posse. Qui tenent rursus « credere » actum esse solius voluntatis atque unice a motivis subiectivis pendere, id ipsum docent. Quidam praeterea sunt, qui quamvis negent circa veritates Fidei posse demonstrationem proprie dictam haberi, ipsumque actum Fidei solius voluntatis esse, docent tamen Fidei scientiaeque actum in eadem intelligentia, respectu eiusdem veritatis amico posse foedere consociari. Audiatur P. Pesch. (3): « Tota quaestio est, num homo possit actu Fidei divinae credere ea, quorum naturalem scientiam habet. Responsum affirmativum videtur plane certum. Nam omnibus incumbit officium credendi plura, quae a multis naturali scientia cognoscuntur, ut existentiam Dei (*Rom. 1,20; Hebr. 11,6*). Atqui si Fides non posset stare simul cum scientia eiusdem obiecti, talis obligatio imponi non posset. Ergo simultaneitas Fidei et scientiae circa idem obiectum non repugnat ».

Theologi Salmanticenses e contra, contrariam docent opinionem hoc dueti fundamento: « De ratione — in-

(1) *Annales de Phil. Chrét.* Février, 1909, d. 524.

(2) *Sum. c. Gent.* l. 1, c. 4.

(3) *Propaed.* n. 404, *Prop. XXV.*

quiunt (1) — obiecti assensus Fidei est, non esse visum ab eo qui credit; de ratione autem obiecti actus scientiae est esse visum ab eo, qui scit: sed implicat, quod idem obiectum et secundum idem praedicatum, sit visum, et sit non visum ab eodem intellectu; siquidem esse visum, et non esse visum, opponuntur privative, et unum affert parentiam alterius; ergo implicat, quod idem obiectum et secundum idem praedicatum attingatur ab eodem homine per assensum Fidei et per assensum scientiae ». Non aliter Angelicus doctor, penes quem huiusmodi leguntur expressiones: « Nec Fides nec opinio potest esse de visis aut secundum sensum, aut secundum intellectum... Non est possibile quod idem ab eodem sit visum et creditum... Unde etiam impossibile est quod ab eodem idem sit scitum et creditum... De eodem secundum idem non potest esse simul in uno homine scientia nec cum opinione nec cum Fide.... scitum est visum, et creditum est non visum... De eodem non potest esse scientia et Fides apud eumdem; sed id quod est ab uno scitum, potest esse ab alio creditum... Ille qui credit... non habet sufficiens inducitur ad sciendum; et ideo non tollitur ratio meriti... Aliiquid est credibile dupliciter. Uno modo simpliciter, quod scilicet excedit facultatem omnium hominum in statu viae existentium, sicut Deum esse trinum et unum et huiusmodi: et de his est impossibile ab aliquo homine scientiam haberi; sed quilibet fidelis assentit huiusmodi propter testimonium Dei, cui haec sunt praesto et cognita. Aliiquid vero est credibile non simpliciter, sed respectu alicuius; quod quidem non excedit facultatem omnium hominum, sed aliquorum tantum; sicut illa quae de Deo demonstrative sciri possunt, ut Deum esse unum aut incorporeum, et huiusmodi: et de his nihil prohibet quin sint ab aliquibus scita, qui horum habeant demonstrationem; et ab aliquibus credita, qui horum demonstrationes non perceperunt: sed impossibile est quod sint ab eodem scita et credita... Non est possibile quod sint de eodem Fides et scientia ». (2)

Nonne penes S.S. Patres adagia illa reperiuntur « Quid est Fides nisi credere quod non vides?... Fides est adspectus eorum quae non sunt manifesta... Non enim Fides de re evidenti concepta Fides dici poterit. Quae apparent fidem non habent ».

Relationes igitur Fidem inter ac scientiam existentes huiusmodi sunt:

I. — Fides et scientia non sibi mutuo contradicunt, quia Fidei et scientiae habitus possunt in eodem homine mortali dari.

II. — Fidei et scientiae seiungendae non sunt, quia

(1) Vol. II *de fide*, disp. 3, dub. 2, §. 1.

(2) II-II^{ae} 1. 4; art. 5, in corp. et ad 4.; II-II^{ae} 2. 4 ad 2; 2, 9 ad 3.; *De Veritate* q. 14 a. 9 in corp. et ad 6. - Cf. *Revue des Sciences Philos. et Théol.* Avril 1909, p. 244; HEITZ *La Philosophie et la Loi chez saint Thomas d'Aquin*. — KLEUTGEN *Theologie d. Vorzeit* 4, *Vom Wissen vor dem Glauben*.

praeter mutuas utilitates, habitus Fidei cum scientiae actu esse potest.

III. — Actus Fidei et actus scientiae in eodem homine mortali respectuque veritatis eiusdem simul esse nequeunt, sicut esse simul non possunt visum et non visum, quamvis possint esse successive in eadem intelligentia.

Neque valet opponere Pauli Apostoli verba (*I Corinth.* VIII, I): «Scientia inflat»; quia ille de scientia sui temporis, quae vel Deum ignorabat, vel Deum negabat, vel ideam Ipsius destruebat, mentionem facit, non autem de vera laudabilique scientia humana.

REGINALDUS M. FER.

SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS

De origine Turcarum. (1)

Turcae, partim Caspio mari proximi, qui Asiam Orientemque vastarunt, Caucasique veteres incolae, qua parte ad Arctum vergit: partim inter Scythicas gentes relati, et Hunnici sanguinis, qui postea Ungari dicti sunt, existimati: quod ex Graecis auctoribus et Latinis colligas. Veteres scriptores (quod sciām) de his nihil, praeter Mellam et Plinium: ille praeter nudum Turcarum nomen in Scythiae relatione nihil aliud addidit. Sive igitur veteres illi a Mella relati, sive recens aliquod genus hominum, eorum certe qui Caspii maris accolae fuere, tenuissima memorantur primordia, et ut ceterarum gentium plane obscura: nam septingentesi-

(1) Opusculum hoc, auctore IOANNE BAPTISTA EGNIATI Veneto, Basileae anno MDXXXIII mense Augusto excudebat Henricus Petrus nna cum aliis sui temporis historici documentis, inter quae *Christophori Colom de insulis nuper inventis in mare Indico sub Ferdinandi rege Hispaniarum, epistola ad magnificum dominum Raphaelm Sanax;* d:nd: per Alexandrum de Cosco latinitate donatum. De volumine haec editor monet: «Lector humanissime, habes hic opus quarundam historiarum, quos iam primum typis nostris ex antiquo et scripto exemplari in commodum tuum evulgavimus». — De auctore autem opusculi has quoae sequuntur notias invenire nobis datum est. Verum eius nomen fuit Ioannes Baptista Cipellus, quod, more litteratorum et etiam artificum aetatis sua, in Egnatium immutavit. Humili loco natus circa a. MCCCLXXVIII, tanta ingenii vi pöllebat tantoque scientiae amore flagrabat, ut vix duodeviginti annos natus Venetiis in patria ludum litterarum privatum aperire non dubitaverit. Egregia, quam brevi obtinuit, civium existimatio zelotypum ei reddidit Marcum illum Antonium Sabellicum, qui fertur iuvenem vexare admodum coepisse. Egnatius huiusmodi ultionem suscepit: acerrimam de nonnullis Sabellici circa antiques scriptores iudicis censuram scripsit, eam an. MDII sub titulo *Racemationes vulgavit, scholamque suam prope Sabellici domum transtulit, ubi ea quae ante Sabellicus, et in quibus illi adversaretur, commentariis illustrare aggressus est.* Ioannis doctrina aënum ipsum tandem vicit, qui an. MDVI iam prope mortem adduetus, ad se quum accersivisset, eius animum cum suo reconciliavit, atque in amicitia pignus opus quoddam sua manu scriptum edendum ei commisit, qui non solum diligentissime munere sibi tam humaniter concredito perfunctus est, sed, post Sabellici obitum, funebrem eius laudationem composuit, quae, nunc deperdita, veluti pulcherrimum inter Egnati scripta celebrata fuit. Anno MDXX noster, qui Venetorum civium iuribus, Notarii titulo ipsoque publici legati officio honestatus fuerat, publicam eloquentiae cathedralm tanto cum plausu obtinuit, ut eius lectiones a quingentis quotidie alumni ex omni Italia etiamque ab exteris gentibus frequentarentur. Eloquentiam docuit ad annum usque MDLIX quando otium, quod iam pridem gravis annorum petierat, ei tandem concessum est. Non tamen diu emeritis stipendiis frui potuit; cursum enim vitae absolvit d. ix m. Iulii MDLII. Multa scripsit, quae maxima ex parte vulgata non fuere, multaque Aldi illius senis celeberrimis editionibus operam contulit.

mum ab hinc annum natali solo relicto, in Persidem atque Asiam minorem primum impetum fecere, sed nec unus dux illis, nec certum imperium; vagi, dispalati, quove cuique sors affuit, latrocinantes magis quam belligerantes provincias vastarunt. Prima stipendia Basilio Macedone imperante sub Muchumetio Saracenorum principe meruere, quorum praecipue opera Babylonios Indosque ille vicerat. Sed peperit his virtus invidiam; prohibituque ad sua redire, indignati primo secedunt; inde uno alteroque praelio Tangrolipicis Mucaletii ducis eorum auspiciis feliciter adversus Saracenos gesto, tandem egregie vincunt, Muchumetiumque profligatum acie obtruncant; ex quo res Turcica ad Tangrolipicem delata. Is, aliis Turcis ad se accersitis, Cumemetum nepotem adversus Arabas cum paratissimis copiis misit; qui praelio ab his victus, quum a patruo per summum contemptum exceptus esset, eius iracundiam veritus, ab illo deficit, et Pasara Chorasmiorum urbe munitissima sese includit. Tangrolipix interea praelio genti funestissimo in Mediae finibus cum Romanis, Asani alterius nepotis ductu, conflixit. Quo victo et caeso, indignatus ille Aleimum fratrem iterum in Romanos misit: qui egregiam victoriam, capto Liparite Graecorum duce et caesis etiam Iberis Romanorum sociis, retulit; sed quum Liparitem primum, mox et dona a principe missa facile Turca reddidisset, nec praestarent Romani quod promiserant, ingentibus copiis accinctus Tangropilix, Asiam omnem ad Euxinum mare aut vastat, aut subigit; variatum deinde in gente, factionibus exortis, ad Gallorum usque memorabilem illam expeditionem, qua fracti ab his saepius, magna etiam imperii parte multati sunt, donec Othomanus ab hoc Selino, qui rerum nunc potitur, nonus, veterem gentis gloriam asserere ausus est. Is obscuro loco et parentibus agrariis natus, virtute ac calliditate singulari, conflata per seditionem manu, circumferre Turcica coepit arma, in suae gentis homines non minus infestus quam in nostros; paulatimque rerum successu et imperandi libidine inflammatus, castellum, quod Othomanum de suo nomine appellari voluit, cepit. Distabat id a Prusia Trapezuntem versus itinere dierum sex; agebatur autem annus salutis nostrae millesimus trecentesimus, praeratque in Barionae (1) sede Bonifacius octavus, circa exitum Michaëlis Palaeologi, et Andronici nepotis initia; quo tempore Germanis Albertus imperabat. Othomanus igitur his auspiciis intra octo et viginti annos, quibus rerum potitus est, incredibile dictu quantum rem suam auxerit: magnam certe Bithyniae partem brevi subegit, oppidaque ad Euxinum posita non pauca cepit; qui moriens Orchani filio regnum per manus tradidit; sub quo Graecorum Cantacuzeno et Palaeologis contendentibus, adeo res Othomanica crevit, ut Prusiam Graecis ademerit, et dum Cantacuzeno magis quam Palaeologis favet, primus in

(1) Numne Bar Jona? Et sic deinceps.

Europam, ab eo accersitus, traiecit. Caramanum etiam, perfidia in illum usus, eius filiam in uxorem duxerat, imperfecto eius filio adolescente, non exigua principatus parte exuit. Qui post vigesimum secundum imperii annum Ammuratem filium haeredem reliquit. Is avitam paternamque felicitatem aemulatus, in Caramanum avum maternum non minus infestus quam pater fuit: mox ab imperatore Palaeologo solicitatus in Bulgaros, fratremque Peloponnesi principem, qui bellum moverant, XII Turcarum milibus in Europam transportatis, egregie Bulgaros hostesque imperatoris ultus est; hinc Europeis opibus illectus, dum ulcisci imperii hostes simulat, usus Genuensem navibus, Hellespontum ad Abydum superat, Gallipolimque cum aliis oppidis occupat. Is fuit annus millesimus trecentesimus sexagesimus tertius; nec multo post Serviam Bulgariamque ingressus, quum Hadriano-polim prius occupasset, occurrentes sibi cum paratissimis copiis hostes, ingenti caede profligat, Lazaro Serviae principe in acie caeso; sed mox a servo in domini vindictam Ammurate occiditur, quum annos viginti tres imperium tenuisset, Pazaite et Solimano liberis superstibus. Pazaites, imperfecto per insidias fratre, patris mortem ulturus, Marcum Craievicium Bulgarorum principem praelio superat et interficit; inde magnam Bulgariae partem sibi subiecit; nec tanto rerum successu quietus, Bossinam, Croatiam, ulterioresque Illyrici partes vastat. Constantinopolim annos octo obsidet, facileque obsessam iam tunc expugnasset, nisi Ungarorum Gallorumque adventum formidans, quibus ad Nicopolim occurrit, memorabili praelio nostros superrasset, caesis captisque magna ex parte Gallorum duabus, in primis Ioanne Burgundiae duce, et Sigmundo Ungariae tunc rege tumultuaria pugna fuso, qui facile in hostis potestatem venisset, nisi Venetae classis occursu servatus e fuga esset, cui tam Thomas Moeenicus, qui postea Michaëli Steno successit, praeerat. Inde ad Constantinopolitanam obsidionem spei plenus regrediens, quum eam biennio obsessam tenuisset, trepidissimis Tamberlanis Scythaे nuntiis, qui infinita pene multitudo Turcarum terras invaserat, excitus, illi ad Stellam montem congreguntur, in Galatiae Bithyniaeque confinio. Caesa sunt in ea acie Turcarum ducenta millia: vivus ipse Pazaites in hostis potestatem venit, qui aureis catenis cavea vincitus, ad mortem usque a Tamberlane circumductus est. Incidit haec clades Turcis in annum millesimum trecentesimum nonagesimum septimum salutis nostrae, Bonifacio nono pontifice Romano. Huic duo fuere liberi mares: Orchanes, quem alii Calepinum, et Maomethes, quem nostri Moysen magno, uti video, errore dicunt. Orchane intra biennium per insidias a fratre imperfecto, Maomethes rem Turcarum solus occupat, qui Turcia, avito regno Asiae recepto per Tamberlanis interitum, Bulgarios et Vlacos praeditis et cladibus affixit, Hadrianopolique recepta, regiam ibi sedem statuit. Ipso post annos septem et decem mortuo, Ammurate filius regnum init, Ioanne XXII

Barionae sedem tenente. Hic maiorum gloriam non solum aequavit, verum etiam longe superavit. Prusia illi expeditio in Mysorum principem, qui nunc Servi dicuntur, fuit; de quibus Scopiam et Novemontum post longam obsidionem cepit, duos reguli filios captos oculis privat, postea sororem eorum uxorem sibi adsciebat, restitutoque per has nuptias Novemonto, in Vlachos, Ungaros et Germanos incursions graves facit, inde in Epirum deflectens, Croiam expugnat. Venetorum arma in se solicitat; Thessalonica his per vim adempta, interim una ab Ungaris ingenti pugna victus, induciisque ab iis decennalibus impetratis, iterum ab iisdem Ungaris praeter iusiurandi fidem, Eugenii pontificis hortatu, bello petitur: quos duplii praelio duum nostrorum discordia et ambitione vicit. In altero ad Varnam Ladislaus, rex Poloniae, et Iulianus Cardinalis obire; in altero ad Basila victus Hunniades caesique principes Ungari non pauci, praeter gregarium militem, qui ad internectionem occubuit. Nec moratus Peloponnessum fratrum discordia iniuria obnoxiam in ditionem redigit; exinde reputans animo regni molestias et fortunae inconstantiam animo agitans, in Asiam abiit solitariam vitam secutus et Maomethae filio cura rerum demandata sub Calibassae tutela, quam non multo post repete suasus (aetas enim filii non satis idonea rei administrandae adhuc videbatur) Epirum ingenti exercitu repetit (defecerat enim fere universa Scanderbecchio auctore) et Croia frustra per aliquot menses oppugnata, moerore animi obiit, quum annos quatuor et triginta regnasset. Longum est si Maomethis eius filii res gestas explicem; quae quantae fuerint, novum Othomanicae familiae Magni cognomentum ab eo quaesitum, et in haeredes iam transmissum arguat. Is enim duo Christianorum imperia, Constantinopolitanum et Trapezuntinum, subvertit; regna duodecim nobis ademit, ducentas urbes Christianam pietatem secutas cepit, et in his Chalcidem insulam armis et Seodram ditione Venetis extorsit, bellum maritimum per multos annos cum maioribus nostris gessit, Capham ponticam urbem expugnavit, Rhodon insulam frustra tentavit; Italiae capto Hydrunte, arma intulit; et dum plusquam civile bellum in maiorem filium meditatur, quum annum unum et triginta praefuisse, obiit anno salutis nostrae MCCCCLXXXI, quinto Nonas Maii. Quo mortuo, res Turcica civilibus armis aliquamdiu iactata est. Sed minore fratre victo et fugato, solus imperium Pazaites obtinuit, qui Vlachiae castella quaedam quum expugnasset, inde in Sultanum Aegyptium copias eduxit, a quo saepe victo, Turcae tandem pacem foedusque iniere. Ceterum quum otii appetentior a natura videatur, nec tamen per suorum hominum ferociam feriari a re bellica posset, paratis terra marique ingentibus copiis, anno MCCCCXCII Cerauniorum montium accolas invadit, tractumque illum liberarum semper ad eam diem gentium Turcicæ servituti subdit; inde septimo post anno terribili classis apparatu Venetis Methonem,

Naupactumque, mox inde et Dyrhachium adimit. Quin et in Foroiuliensi agro trepidatur, Turcis foede terram eam magno nostrorum damno vastantibus. Nec multo post pax secuta, Andreeae Gritti patricii clarissimi opera; postquam non diu superstes Pazaites fuit, regno a Selenio filio pulsus, qui rerum nunc potitur, ex quo annos ferme xxx imperitasset.

HORAE SUBSECIVAE

**Columbus altero orbe divinato ad ignotas terras
in navem ascendit.**

*Nave levi rixus, magno sed pectore firmus
Litore ab hispano audebat proscindere rostris
Nauta Ligur pelagus, quod nunquam conspicere ausi
Mortales oculi. PALOS ad littora portus
Turba immota manet, miraturque ore stupenti
Impavidum nautam placida percurrere puppi
Oceanum insuetum per iter. Candescere fluctus
Incipiunt, alque audax iam secat aequora navis.
Diffugere procul montes, et litora ibera;
Et nihil appetet nautis nisi pontus et aether.
Quaenam, magne Heros, animo tibi tanta cupido,
Ut te sponte velis ignoto fide e ponto
Et siccis oculis horrentia monstra videre?
Non certe auratum tibi mens acquirere vellus,
Non rutilo dicit te fulgens purpura fuso;
Non studio exardes plausus popularis et aurae;
Una tibi sedet in ferventi corde voluptas
Iustitiam atque Fidem, et quae caetera munera Christus
Attulit in terras, miseris transmittere tandem
Gentibus, obscurae noctis quibus usque tenebrae
Incubuere, nec e caelo lux alma refulsit.
Iam videas, ut collustrant nova sidera noctem;
Turgidus et fluctus timat contingere puppim,
Quam clavo regit arbiter Euri, undaeque frementes.
Mane novo ut spargit paullatim lumine terras
Lucifer, infusas et noctis dissipat umbras;
Sic populos errorum Tu caligine sparsa
Aetheria luce irradias, revocasque vagantes
Littoris ignoti turbas ad gaudia pacis.
Ergo Tibi grates, si iam pars altera mundi
Christiadum ritu discit mansuescere, et alcum
Christi vexillum digno veneratur honore!*

Albintimili.

CALLISTUS AMALBERTI.

DE POËSI QUAE DICITUR AULICA.

*Principibus placuisse viris non ultima laus est.
Non cuivis hominum contingit adire Corinthum.
(Hor. Lib. I, Ep. 17).*

Non id mihi sumo, hoc adhibito argumento, disputationem quamdam inire de illa poësi, quae vere proprieque dicitur aulica; sed potius ac veluti cursim nonnullas afferre animadversiones, quae mihi in mentem venerunt, cum per hosce dies, subsicivis horis, otiandi causa libellum quemdam perecurrerem, cui nomen: *Argutae virilitatis exercitamenta*, Caesare Fanelli auctore, a. MDCCXVI.

Dispicet vero partem tertiam, idest epigrammata, in tres libros divisam, tantum mihi in manus pervenisse, cum reliquas comparare nequiverim; sed, si fieri non potuit ut totum opus evolverem, dolendum non est, quod *crimine ab uno reliquarum partium sententiae facile discuntur.*

Libellus de quo loquimur, est Carolo Sexto Romanorum Imperatori Austriaco atque Hispaniarum Regi piissimo dicatus, *ad amoris, fidelitatis et obsequii iudicium, tesseram atque argumentum.* Iam inde a primis paginis qui sit auctor, nullo negotio dignoscitur, scilicet quo animo quibusve sensibus, vel quibus armis, quove inflato ac tumido scribendi genere communitus se ad propositum composuerit, cum enim, ad *Solem Austriadum* conversus, de se ipse scribat:

*Nunc ego spes Phoebi tenuis, ruditus incola Pindi,
Ante tuos supplex, cernuus ante pedes,
Hosce dico versus, inultaque carmina sacro:
Parce ausis; spernas nec metra parva, 1ogo:
Vel Deus aetherei summus moderator Olympi
Cblati thuris parvula grana probat.*

Hucusque non multum offendimur, ac veniam damus libenter, eo magis quod in progressu operis nonnulla epigrammata invenimus, quae grato animo leguntur, utpote cum nescio quid salsum commodeque dictum habeant. Quod si nobiscum id bene consideramus, haud facile esse epigrammaticum genus, et praecipuas, ut ita dicam, virtutes a studiosis exposcere, ut affabre in illo se exercentes, digni superioresque evadant, minime respuendum est Fanelli conamen et in obsoletas nugatoriasque res reiciendum.

Ceterum, difficultatem hanc poëta sibi non dissimulat, quin immo sic admonet lectorem:

*Cuncta supercilie placido vultuque benigno
Perlege, nec rigido laedere dente velis.
Si quid peccabunt Epigrammata, parce libenter:
Difficile hoc metri creditur esse genus.
Non est dumtaxat carmen, sed nobile carmen,
Quod debet lepidos continuisse sales:
Si forte insulsum, sibi gignit ubique cachinnos,
Non plausus; momos in sua damna movet.*

Sed non de his epigrammatis mihi in animo est disputare, verum de illis quae proprius opportuniusque

poëmata sive elegiae dicuntur, quaeque quiddam aulicum sapiunt.

Agitur in primis de nativitate Austraci Infantis. Bene recteque poterat poëta, ad suos obsequii officiique sensus in Regem expromendos, paucis versibus absolvere rem; scilicet laetissimum eventum consulutando et fauste imperio populisque auspicando.

Sed non ita est, lectores! non est profecto. Nam tumentem Fanellii Musam minime simplicitas et modus decet: translationes vero probantur, ambages, imagines audaciores, ne dicam novae atque mirae, dicendi turgiditas, et huiuscemodi fuci vitiosaque ornamenta... En pleraeque elegiae quae idem argumentum tractant, quibusque vel nimium stomachamur:

Iam Europae pacem poëta ab uno partu sperat videtque Martem saevos clypeos et enses deponere, Sebethumque, iuvenem factum, exultare...

*Aspice ut intexunt choreas per caerulea ponti
Pausilypi nymphae, Nereidesque deae.*

Tunc lustra exoptat Puer, *Pylio* quot lustra fuerunt...

Eadem sententiae, ac paene dixerim eadem verba, alio loco adhibentur: Astrictis foribus, Ianus claudet sua limina; Mars mutabit rigidos gladios curvis aristris atque inter clypeos mellificabit Apis (!). Dicum comae oliva cingentur, ingemetque Ambitio (non desunt vero quidem personarum fictiones), et lacrimas ad instar fluminis

Ex maestis oculis proferet Invidia!!

Paulo post, mentione Iovis iniecta qui, captus Europae splendoribus, eripuit illam ac sanguine commixto Minoem genuit, Carolum Regem *Iovem Austriacum* (risum teneatis?) salutat, eiusque uxorem Elisabeth *Iunonem secundam*... At hic silentio praeterire non possum distichum quoddam, quod insulsitatis tumorisque culmen, ut mihi videtur, attingit atque inter aegrotantium deliramenta recensendum est:

*Ex uxore gravi, gremioque uteroque tumenti
Mox, mox nasceretur, sorte iubente, Minos!!*

Comparationes autem subsequuntur, quod poëta effrenus, alato insidens equo, citato cursu et historiae regna et fabularum percurrit... Puer vagiens haeret oculis fulgentibus, Alexandri similis, cum matris ab alvo

Exiit et primos protulit ore sonos;

imago frontis specimen dat Herculei roboris, et vivida forma Achilleas genas ostendit!! Praeterea, fiet compar Alcidae cum annis creverit, et, ut ille, franget monstra quo orbis habet...

Quaero num quid inflatius turgidiusque dici possit, quidque ad nativitatem infantis celebrandam, cum veterum fletis fabulis comparare eam conferat.

Memini olim in Senecae epistulis legisse Alexandrum Magnum, cui aulici persuaderent se filium esse Iovis, cum gravi vulnere ab hoste sauciatus esset in bello,

dum moenia circumiret, oculos iamdiu indecora adulatio subligatos aperuisse atque ita exclamasse: « Omnes... iurant me Iovis esse filium; sed vulnus hoc hominem esse demonstrat ». (1) Quotiescumque enim aliquid aulicae poësis prae manibus habui, hoc mihi dictum sponte in mentem venit.

* * *

At hie fortasse quaerat quispiam: Putasne principum aures hisce blanditiis mulceri et facile falsa pro veris diiudicare? putasne reges ea esse mente ut assentatorum in sententias incaute descendant? Minime.

Hinc supervacaneum est, ne dicam perabsurdum, id poësis genus atque irrita inter eorum conamina recensendum qui, cum sibi vultus sit pravis maculis sanieque corruptus, suam deformitatem et pigmentis et cerussa occultare student. Sed facile sub fuco latenter saniem dignoscimus: tune velamentum dissolvitur et veritas nuda appetit. Simili ratione de poëtis atque scriptoribus blandientibus diiudicandum est qui, cum nihil quidquam nobile atque excelsum habeant quod suorum carminum in fronte constituant, ideoque optimis sententiis honestisve careant argumentis, tenue quidquam eligentes, ita praetexere, farcire, pigmentis illinere conantur, ut eius gracilitas, filicatis, ut ita dicam, figuris contemptis, scilicet dicendi apparatu, verborum elegantia, similitudinibus, eisque denique artificiis quibus Musae redundant, sub tot supervacaneorum nutans pondere, detegatur. Quod si Plinius iunior potuit scribere: « nullus est liber tam malus, ut non aliqua parte prosit » (III, 5), censeo autem — nec postulo ut alii meae sententiae astipulentur — omnia quaeque per blanditias exarata, sive numeris astricta, sive oratione soluta, si non mores, at certe sensus iudiciumque corrumpere: opimum enim dictionis genus immutataque verba ea sunt artificia, quae vel nimium noceant voluntati.

Vidimus iam quid de nativitate Austraci Infantis Fanelliū scripserit.

Verum non possumus ei laudem denegare quod, saevientibus illo tempore Turcis, sincero ex corde optaverit ut *Thracia luna* principis iugum ferret *Threiciisque canes* baculo verberarentur, atque pro festivitate Sancti Iosephi precatus sit ut, quamvis innumeris naves et phalanges hostes collegissent, eorum agmina perirent. Sed displicet, ne dicam offendit nos, deforme eius obsequium erga comites, principes, caesareae maiestatis consiliarios, equestris militiae praefectos, equites, marchiones, ducesque *singulari benignitate praeditos omnique ex parte spectabiles...* Nam id obsequii genus nulla alia re constat, nisi fastidienda earumdem sententiarum iteratione, eisdem honorificis verbis, eisdem lusibus, eisdem argutiis. Ut unum afferam exemplum, laudatis viris poëta exoptat ut longos annos Nestoris Castorisque enumerent, spectentque pariter Pollucis olympiadas!

(1) SEN., Ep. V.

Quae res, molesta scilicet ac taedii plena iteratio, necessario ex tenuitate argumenti proficiscitur.

Equidem miror, Fanellum potuisse praecipuis suaetatis hominibus veluti coronam quamdam epigrammatum intexere; sed cum attentius propiusque consideremus quibus frondibus ea constet, cogimur nosmet ipsos rogare num esset tanti id scribere!

Possim vero nonnullos alios Fanellianae Musae locos afferre, ex quibus luce clarius appetet quam inane poëtice scribendi genus aulica atque adulatoria poësis sit; sed hucusque allata exempla per se ipsa satis sunt ad id affirmandum.

Quin immo, ut finem faciam, dicam: poësim aulicam non solum esse supervacaneam, non solum inanem lusum deformisque obsequii significationem, sed etiam, quod est perridiculum, arrogantiae cuiusdam ambitionisque plenum specimen, ut his eiusdem poëtae versibus emicat:

*Dum sol irradiat, dum Cynt'ia in aethere fulget,
In chartis vives carminibusque meis.*

*Roma cadet, fietque cīnis prius alta Corinthus,
Quam tua Lethaeis fama peribit aquis!*

Scriebbam Id. Sept. a. MCMXII.

M. GALDI.

Adnotatio. — Si quaeris qui fuerit Fanellius, de quo supra agitur, sic habeto:

Neapoli vixit, ineunte saeculo MDCC. — Laureatus archipoeta ex Floreno, et academicus Peregrinus in Romana Peregrinorum Academia, ubi Pausiliyi Apollodus antonomastice appellabatur, *rhetoricas artes et praecepta mellea fandi* docuit, ac logicae elementa professus est. Praeclaris suae aetatis viris familiariter usus, haud raro carminibus eos adiit ut *suae paupertati* subvenirent et magnis laudibus per curriculum extulit, quod....

Principibus visa est semper iucunda poësis.

Hinc de se bene poterat dicere:

Servitiis addicta tuis mea Musa per aulam

Mille dedit quondam plausibus aucta iocos.

(V. Epigr. lib. III ad Serenissimum Dominum Caesarem de Avalos Vasti et Piscariae Marchionem...).

M. G.

Ludus qui Italice dicitur: LA CORSA NEL SACCO

seu "Certant qui currere in sacculo inclusi,,.

Honori beatissimi Rochi, pestilentiae potentis, festum magno apparatu celebratur, cui adspectus Episcopi, innumera prope devotorum frequentia, dignitas accedit. Ex more, solemnes post religionis caeremonias rite compositas, ad incolarum advenarumque solatium, fieri coepit aliquot publice ludi. Mirum sane quam ruricolae nostri recreari adsolent et delectari! Hoc vero anno, praeter complura proposita praemia, et iucundam temporis opportunitatem, inter pagos haec passim vox circumfertur, maiore omnino solemnitate

ludos celebrari tum rerum novitate, tum personarum elegantia, magis atque magis laudabiles haber.

Re enim vero, dé votis ritibus expletis, frequens populus in stadium se se proripuit, magna ludorum voluptate atque solatii excitata. Hic adsunt qui, prae-miis propositis adlecti, pila ludere se se parant, illic cursu, vel etiam pugnarum simulacris, aliisque id genus iocis compluribus.

Sed omnes maiori animorum desiderio ac dulcedine expectant ludum qui vulgo adpellatur: *La corsa nel sacco*.

Qui hunc ruricolarum ludum unquam oculis arripuit, vix mente consequi poterit, qua nostrum voluptate atque insania, prope dixerim, ei adesse consueverunt.

De hac ludorum ratione paucis absolvam. Est proximus ager patens, quem nuper « falciferae secuere manus ». Hic nempe sunt magnae luctandi acies. Utrum vero aptius sit in via latiori eademque vacua vires exerceri, diu multumque inter luctatores actum est. Placuit tandem cursitare *in vacuo aequore campi*.

Tunc carceres decernuntur et meta, maximumque praemium. Illuc maxima admodum hominum multitudo adecurrit, dum luctatores, inter fluctuantum adstantium expectationem, adparent, ut rite in saccum condantur. Omnes sunt unica subucula induti cum femoralibus, calceati vel non, uno tamen more adincti.

Singularis autem huiuscemodi certaminis fautores unumquemque luctatorem in saccum collo tenus vehementer immittuntur, brachio uno dextero excluso, ne quid ei forte mali succedat, si casu humili procumbat. Octo vel decem in uno eodemque loco sistunt, dum matres ardenteribus oculis adspiciunt, fratres, sorores eademque consortes, suis victoram secreto auspicantes. Horum omnium, nisi me quis incuset magnis nunc parva nimis componere, ut Vergilius canit: « Latonaē tacitum pertentant gaudia pectus ».

Circumstantes interea oculis luctantes curiosius perlustrant, hunc victorem esse vel illum indicant, prout quisque animo vel amicitia decernit. Fit circum maximus subito clamor, et vulgus in contrarium scinditur sententiam; nec desinit qui de victore non modo disputet, sed multis cum adversariis vel pignore contendat.

Quum vero primum buccina canit, fit altum circa silentium; quum autem secundum, maiori sollicitudine omnes se se ad currendum disponunt, tacitique secum mente revolvunt quomodo et qua arte incedere debeant, pedesque mutare, saccum sublevare, gradumque meliusculum properare. Tertium demum buccina canit, et tunc mirum in modum incipit cursus. Hic brevibus saltibus crebrisque procedit, ille magnis, ut ei per saccum licet; alter pede nunc dextero sinistroque se se ex ordine vertit, ut circinus saepius facere consuevit; alter, pedem alternans, viessim progreditur, ut omne sic obstaculum removeat, nunc pedibus summo nititur opere, omni vi manus et celeritate solertiaque contendit.

Vel ab initio succedunt variantque vices; dum cir-

cum gentis multitudo, illi innuit atque favet, dum contrariis desideriis alteri dat gratiam, et fert augetque vocibus robur. Quam graphicce dixeris:

Animum hunc huc celerem, nunc dividit iluc!

Dominicus enim duobus iam passibus Iosephum antecedit: Baptista vero Dominicum ita in certamine instat atque subsequitur, ut mox mox eum supergrediatur. Bernardus lentius equidem incedit, sed omni facile obice remota, non deflectit, et secure rectoque procedit, et maiore mentis industria, parum retro subductus, rapidissime viam carpit atque inter primores se recipit, eique unus modo restat superior Baptista, qui tribus tantum passibus ei praecedit.

Hunc autem maximo clamorum strepitu manuumque adstantes incitare haud desinunt: «Insta, macte, macte virtute!» Quum ita se se habeant res, et turba in partes huius illiusque magno studio voce contendit, beatiores adesse in media acie magnoque ore omnes ad contentionem provocare, illud veluti Vergilii repetere:

Depono: tu dic, mecum quo pignore certes?

Multi in aciem progreduintur, consurgunt maximis studiis. Blasius interea sudat, fatigat, adlaborat, atque ore vultuque rubicundo, nil prorsus videt quam aemulos, quos felicissime transilit. Hunc magno novo clamore spectatores accipiunt, urgent ad victoriam: Io, Blasi, io! perge!

Novissimus et quam longissime et formicino veluti gradu adest Iacobus, qui magnis undique irrisioibus obruitur. Hic enim passim lingua factiosus, opere autem iners semper, superbiens coram populo se se iactare saepius consueverat, adversarios facile fore superatum... Ipsos propediem visuros. Nunc lepidissime e laetiores festinantesque illudunt, exclamant: Optime Iacobe, macte! Erit tibi praemium, maximumque! Curre... Date, ehu! vos munus, quin imo laurum.... «Florentes ferulas et grandia lilia ferte!» Io, Iacobine, hui! — Ipse vero quasi insanit, furor iraque mentem praecipitat. Namque ob contemptum modo sistit, modo iter denuo carpit, modo ut se ab omnibus irridentibus liberet acerbisque facetiis... — Hisce enim paene obrutus sternitur primum exanimisque tandem procumbit.

Tunc quasi ex composito eum in immundo pulvere facientem populus universus sibilo excipit; qui se se turpiter humi volutat fremensque dentibus caelumque terramque minatur. Alii vero iam iam ad metam perveniant: Dominicus duobus modo passibus distat, tribus Bernardus; Ioseph inter utrumque. Populus an ceps exitum exspectat; dum Blasius, qui ad tertii humeros conspicuus impigerque succurrit, tribus passibus adsurgit, atque inter omnium plausum feliciter metam primus contingit. Hinc magnae contendentium irae, qui furoris ergo, nec suis pareunt quidem capillis, quos durum in modum manibus extorquent. Sic itaque orta est Blasio victoria, eique omnibus adelamantibus attribuitur. Arte enim vicit atque virtute.

Tunc iudices eum prae manibus vulgo portendunt: amici ei gratulantur, populus plaudit, universa tellus nomine dat munus.... Ipse vero, ut si res italas armis esset tutatus, moribus ornasset, legibusque emendasset, ad ludorum iudices se maxima pompa confert, ut praemium sibi propositum meritoque conquisitum accipiat. Quod oris decus, quaeque vultus superbia! Petasatus enim atque arroganter et fastu insignis et ambitione adest, ac manibus ad latera positis, rusticorum more et humeris sacculum ferens quo vicit; ea quidem corporis superbia qua olim forte ipse Hercules leonis Nemaei pellel retulit.

Per idem tempus, universa gestiente civitate, peggata sub noctem incensa, viae et domus urbis humiliisque Rochi aedicula facibus cereisque colluxerunt, et Blasius in triumphum ducitur, atque ut rex festi diu multumque in posterum omnium sermone percrebuit.

SUBALPINUS.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Utre terrori.

Dici solitum quoties inanem formidinem aut concipit aliquis, aut, (translata passiva verbi voce in activam), inquit. — Sumptum ab iis, qui vasorum inanium strepitu pavefaciunt pueros, aut alioqui formidolosos, vel potius qui vasorum huiusmodi sonitu propellunt aves, ut indicat in *Avibus* Aristophanes.

Exstat apud Diogenianum.


Domesticum thesaurum calumniari.

Hoc est: Tua ipsius carpis et laceras. Simillimum Horatiano illi: Vineta propria caedere. — Aristides rhetor in Pericle: «Domesticum thesaurum insimulabimus, siquidem istis obtrectabimus». Nullus autem sanae mentis quae domi recondita habet, traducit ac reprehendit; sed suis quisque favet, alienis invidet.

Conveniet et in illos, qui sua ipsorum arcana non celant.

Mihi istic nec seritur, nec metitur.

Adagium habet Plautus in *Epidico* pro: «Ista res nihil ad me pertinet, ut quae neque meo fiat periculo, neque emolumento». — Metaphora clarissima est; etenim qui sementem facit, is suo impendio suoque periculo facit; qui metit, compendium accipit et in tuto est. Diversum est huic quod est apud ipsum Plautum in *Mercatore*: «Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis».



VATICANA MURALIS PICTURA

CONSTANTINI CAESARIS PUGNAM REFERENS CONTRA MAXENTIUM AD ROMAM

Constantini Caesaris pugnam et victoriam contra Maxentium, unde novus saeculorum natus est ordo, et cuius centenaria commemoratio his diebus occurrit, in superiore *Vox Urbis* fasciculo late egregieque, ut assolet, narravit Ioannes Baptista Francesia: hodie eam sub oculis lectorum ponimus, qualem Raphaël Sanctius ille, pictorum maximus, adumbravit, eoque demortuo, in Vaticana aula, quae vulgo ab eodem Constantino nuncupatur, Iulius Romanus, Urbinatis discipulus, coloribus ita expressit ut et tanto magistro dignus apparuerit, et opus prope dicam suum omnino reddiderit. Scribit Vasarius, Iulii hanc muralem tabulam - (ad aulae modum in longitudinem ped. XXXIV in altitudinem ped. XV perductam) - «magnam lu-

cem» artificibus attulisse Romanum bellicum genus post Iulium ipsum pertractantibus, qui tot tantaque ab antiquis Traiani et Antonini Urbanis columnis didicit atque deduxit, ut in militum habitu, vestibus, armis, signis, vallis, arietibus ceterisque bellicis instrumentis ea profuse sane, at singulari peritia per hanc picturam adhibuerit. Fortasse nigro colore praeter rationem aliquando usus est, atque in figurarum circumlitione nimiam rigiditatem dilexit: haec enim vitio critici plures ei verterunt; quamquam ex huiusmodi accusationibus Bellorius (*Descrizione delle immagini dipinte da Raffaello di Urbino. - Roma 1695, pag. 59-60*), Nicolai Pussini auctoritate fultus, belle satis Iulium defendit.

AD SANITATEM TUENDAM

Salernitanae scholae praecepta de bona valetudine conservanda nemo est qui ignoret. Quorum multa, proverbii loco sumpta, nostris diebus adhuc memorantur et vigent. Ut humanarum est rerum, plures ipsam scholam imitati, non solum pro rege Angliae, sed ad generis humani omnis bonum rationes suas ad tuendam sanitatem soluta oratione aut Apollineis honoribus expsuerunt; quarum unam, quum casu in manus meas incidisset, quumque ex ea aliquam voluptatem coepisset, summatim saltem in *Vocem Urbis* referre, non iniucundum (ecquid etiam non dicam utile?) fore putavi.

Auctoris nomen, splendidum quidem et grande, Georgius Pictorius Willinganus, doctor medicus et apud Caesaream curiam Ensishemii superioris Alsatiae archiater; carmen elegiacum; opus in sex partes divisum iuxta res «non naturales»: aërem, cibum et potum, motum et quietem; somnum et vigilias; repletionem et inanitionem; de accidentibus animi. Singula persequamur... cum ipsis passim prosodiae peccatis.

De aëre, corporis artus circumdante, proculdubio quisque notat, poterit quod noxius aëris

Damna dare, et salvus commoda multa quoque. Temperatus quippe et purus sibi cuique optandus; frigidus item, quod

torpida membra

Hie facit, obledens pectoris ima quoque; et calidus,

Debilitat talis namque diaphoresi, fugiendi. Quisque igitur Eligat ast medium, nullis foetoribus auctum: Stagna lacusque putres, stercora quisque cavet. Artem qua malus et foetidus aëris sit corrigendus, bona pace auctoris, hodiernae *hygieni*, longe proculdubio progressae, demandemus, sitque statim cibo potuique hinc locus. In primis,

Non est mandendum sano, nisi sciverit ante Ingestos ventrem devacuisse cibos.

Nam damnum credat, quo vix praesentius angit, Quando indigestis additur esca cibis.

Neve cibum tardet, dum vult curasse salutem, Nam vacuus venter phlegmata crassa trahit.

Non comedat quidquid cupidi vis improba suadet Ventris, sed debet praelimitare cibum.

Escas perfaciles coctu praemittere cautus Debet, sed duras ultima mensa habeat.

Et memoret quivis, quod Si bene comminuant dentes modo fereula sani, Dixerit immensum concelebrasse bonum.

Circa autem dentium sanitatem, Si cupias dentes salvos, tu collue lympham

Saepe etiam gelida, maxime post epulas.

At quamdiu ad mensam sedendum? Generatim ob Supplicium dirum praestat semperque cavendum,

In mensa longam continuasse moram.

Praecise vero quisque

Coenam continuet parvam, quum Syrius ardet,

Nox istud signat nam brevitate sua;

Maiorem sumpto sole ingrediente Sagittas,

Quum nox sublustris longior esse solet.

Ad parandam denique et adiuvandam eduliorum in stomacho concoctionem,

Ante cibum anisum confecta cydonia prospic

Saccaro; post mensam caseus atque recens.

Sed iam de alimentorum genere medicum praestat audire, deque eorum capite, pane:

Neve minus Cereris calidum permittat ad escas

Sanus, fermento sed bene congenitum.

Est quidem opyrus (1) facilis laborantibus, atque

Proritat is alvum, nec bene membra fovet.

Furfure sed mundus, sanos hic pascit et aegros,

Ac faciles aditus membra ad alenda trahit.

De carnibus deinde, tum quadrupedum tum volatilium:

Nutritiva caro est, lateris sed portio dextri

Plus confert mensae, gravior estque cibus.

Exitus est facilis pingui, sed nutrit edentem

Parum; tosta quidem vix bene digeritur.

Singulis autem carnibus sua natura, sua virtus; praecipua referemus, eoque magis quod nostra aetate qui ursi, gliris, lupi, castoris, lyncis carne vescantur, multos esse non credimus.

Bos reddit duram, cunetis quos cocta polenta

Nutrit proficiam, sed eo perinutilem.

Sus calidam et udam multum ventrique rebellem,

Ni iuvenis fuerit, quae solet esse bona.

Hoedus fert primas, agni magis humida semper

Est caro, sed stomacho sit levis ista bono.

Exornet vitulus magnatum prandia fortis

Uvida, cui sapido iuncta tempore caro est.

Dat aper in hyemem catulis modo captus edacem

Carnem, quam condit nigror ecce piper.

Succi est optati iuvenis capreolus, atque

Fomentum optatum dat maculosa fera.

Si timeas nigram bilem, vitasse memento

Alipedem cervum, maxime si vetulus.

Impiger atque lepus sanguem subinde comestus

Furva equidem bili commaculare solet.

Gaudet in effossis habitare cuniculus antris,

Fercula qui praebet ferme imitata gluten.

Est stomachum pasicens erinaceus; ilia mollit,

Convenit ictericis, laxaque membra iuvat.

Ut de quadrupedum, sic de volatilium carnibus delectum faciemus. Iuxta mentem auctoris, quocum non dubito quin omnes lectores consentiant, capo

... pariet turpi fercula prima gulæ;

gallina autem

(1) Vocem hanc apud nullum auctorem inveni. Panem, cui nihil ademptum est, voce a Graeco fonte deducta, non *opyrum* sed *autopyrum* Celsus unus vocat (Lib. II, ep. 18).

Nigra tenet primas, humiditate bonam.
 At . . . calidam et siccam redolet fluviabilis anser.
 Carnem, quam ventri credimus esse malam.
 Anseribus magis ardet anas; praestantior alis.
 Narratur; stomachum sed gravat ipsa bonum.
 Tota quidem ponatur anas; sed pectore tantum.
 Et cervice sapit; cetera redde coco.
 Et stomacho ignito multum nocet ecce columba.
 Poplitibusque aegris, ni iuvenis fuerit.
 Horreat et mensas turtur cythereius ales,
 Nam medicas artos condecorasse solet.
 Inguina torquati tardant hebetantque palumbi:
 Non edat hanc voluerem qui cupit esse salax.
 Et regum laitis ornat Sodomitica perdix
 Coenas, quae didicit prima fovere iecur.
 Atque phasim cunctas volucres superare putamus;
 Nam levis est stomacho, gravior estque cibus.
 Aucupium auribus facito; de aucupio enim nunc lo-
 quitur:
 Et galeata quidem est bona, si praepinguis alauda,
 Datque salutiferas ad tua pocula dapes.
 Turdis contra
 Igneus ardor inest, languentibus aegris
 Ingratus, gratum quem vero bacca facit.
 Est pingui merulo maior mihi gloria, credas,
 Quam turdo; carnem nam tenet ipse levem.
 Coturnix quamvis sit in regalibus ingens
 Delicium tamen est sensibus ipsa mala.
 Ficedulas sine et vescantur dulcibus uvis,
 Aut raptae cantent stridula voce melos.
 Cantet quoque lucinia suis regibus; auditas reddat
 voces sturnus, ignitus et noeuus cibus; fugiat procul
 a mensa hirundo; fugiat corvus, nam
 In cruce quaerit prandia lauta sibi.
 Quod si
 Ardet in sicco passer, durissimus ales,
 is tamen
 Si cupis esse salax, is cerebella dabit.
 Carnes vero omnes aromatibus, seminibus et baccis
 ad ferculas conficiendas indigent; de iis quoque sa-
 nitatis documenta suggerit noster. Ut sapor dapibus
 praebeatur,
 Sume apium, porrum, coriandum, semen aneti,
 Cum tostis nucis adde selina, thymum.
 Quamquam inferius adnotat:
 Frigida vis multum coriandri dicitur esse:
 A coena sumptum hoc convenit esse satis;
 et anetum assidue bibitum visui nocere.
 Contra de muscatis nucibus:
 Vesica his patula est, has fluida alvus amat;
 Et stomacho, iecori, vitiat spleni et ocellis
 Subveniunt..
 imo et caput ipsum iuvant.
 Sunt insuper aromata plura, quorum virtutes cognosci
 debent ad recte utendum.

Cinnama iactat Arabs multum redolentia, namque
 Et iecur, et renes, putreque pectus alunt; ea ventrem quoque corroborare queunt.
 Piper est calidum, idque
 Quod nervos siccat, phlegmata quodque trahit,
 Quodque acuit stomachum algentem, quod tormina [ventris,
 Tollit; sed caveas, si tibi bilis inest.
 At stomacho algenti ignitum fit zinziber
 Antidotum; siccet phlegmata crassa simul,
 et etiam « solvere ventrem usque solet ».
 Deiectum stomachum reparant gariophila multum,
 Aethiopes donant quae tibi larga manu.
 Haec bene calfaciunt praecordia, tormina ventris
 Excludunt....
 Si denique mala sunt capiti segnes turbantia somnos
 Dant rubei flores pharmaca magna croci.
 Atque croco gaudet venter, seu tristia corda;
 Hocque ede, si risus expetis assiduos.
 Moniti inde lectores sunt, qui laetam hilaremque exo-
 ptant omnem perducere vitam. Audiant nunc virtutes
 seminum et baccarum aliquot:
 Observat sanus campestria grana cumini,
 Nam stomachum et lumbos fortificare queunt.
 Et marathri semen foetae cum lacte capellae
 Absumptum, ventris turgida quaque levat.
 Exacuit sensus, purgat quoque phlegma sinapis,
 Sternutamentis si modo iuncta fuit:
 Semina Pythagoras, inter quae maxima dixit,
 Extulit haec multum, dummodo paree sumas.
 Juniperus baccas profert, tutissima cunctis
 Pharmaca, gustarunt toxica quivenirus.
 Papaveri Somnum dat facilem semen, compescit iniquam
 Tussim, sed laedit turgidulos oculos.
 Anisi vim ad ciborum digestionem iam vidimus; alia
 vero sunt ipsi propria:
 Et facit anisi semen, si caumate languet,
 Cor sanum, mansum pellit et iliacam;
 Cum vino tepido compescit tormina ventris;
 Hoe guttur raucum comprobat atque nimis.
 Adde de leguminibus, in universum omnia esse fla-
 tuosa et magis tum apta, quum cortice privata fuerint;
 speculariter autem
 Humorem crassum fabas progignere constat;
 Hanc fuge si placide somnia noctis amas.
 Datque melancholicos tibilens; mihi crede, liquores,
 Et nervos duros reddere quippe potest.
 Lumbricis mors est pleno iecori atque lupinus,
 Et praesentis opis renibus esse potest.
 Candida si iungas studiose et amygdala lacti,
 Ad mensam lautam tunc et oriza facit.
 Sed iam ad herbas devenimus. Video lectores meos,
 qui vegetarianam scholam profitentur et sectantur, atten-
 tis magis auribus adstare. Frustra tamen; Caesareae

enim Ensisemensis curiae archiatri benemerentissimi praecripta de herbis ceterisque argumentis ad alium numerum delegamus; hodie namque *sat prata bilerunt.*

FORFEX.

ACTA PONTIFICIA

Sanc:ls imi Domini Nostri Pii PP. X MOTU PROPRIO de Catholicorum in exteris regiones emigratione.

Cum omnes catholicos Ecclesia materno studio complectatur, tum peculiari quadam sollicitudine caritatis eos prosequitur, qui, ut victimum labore quaerant, aut meliorem sibi fortunam comparant, relicto natali solo in longinqua migrant, ubi saepius eis timendum est, ne, dum mortalis vitae rationibus prospiciunt, lamentabilem sempiternae iacturam faciant. Plura enim et illustris Nostri Decessoris et Nostra testantur acta, quanto opere Apostolica Sedes bonorum societates foveat in salutem emigrantium institutas, quantumque praesertim adhibeat curam, ne Antistites sacrorum patiantur in re tam gravi pastore industria suam desiderari. Iam vero cum ob aucta populorum commercia et expeditiores commeatus aliasque causas plurimas, quotidie in immensum crescat emigrantium numerus, intelligimus Nostri muneris esse idoneum aliquod reperire providentiae genus, quo quidem horum omnium filiorum temporibus succurramus. Evidem valde commovemur maximis periculis, in quibus religio moresque versantur tot hominum, qui, ut plurimum, ignari regionis et linguae, atque ope sacerdotum suorum destituti, spiritualis vitae adiumenta nec ipsi sibi parare possunt, nec quantum satis est, expectare ab Ordinariis locorum aut a consociationibus iis, quae in id sunt institutae. Quae vero ad medendum his tantis incommodis excogitata sunt, optatum non solent habere exitum, propterea quod eorum, qui in hoc gravissima causa elaborant, laudabiles conatus aut operis magnitudine superantur aut consensum et unitatem saepe non assequuntur. — Nos igitur, tempus esse iudicantes necessitatibus tam magnae multitudinis stabili quadam ratione in perpetuum subveniendi, cum S. R. E. Cardinales e Sacra Congregatione Consistoriali in consilium adhibuerimus, Motu Proprio ac de Apostolicae potestatis plenitudine, apud eam ipsam Congregationem novum Officium, seu *Sectionem* ut aiunt, *de spirituali emigrantium cura* constituimus. Huius Officij partes erunt, quaerere et parare omnia, quaecumque opus sint, ut in iis quae ab salutem animarum pertinent, emigrantium latini ritus melior conditio fiat, salvo tamen iure Sacrae Congregationis Fidei Propagandae in emigrantes ritus orientalis, quibus eadem Congregatio pro suo instituto opportune consulat. Ac de sacerdotibus ipsis emigrantibus, hoc idem unice cavebit Officium, ad quod propterera praescriptiones ea de re, decretis Sacrae Con-

gregationis Concilii datas, avocamus. Itaque Sacra Congregatio Consistorialis, accedente Ordinariorum studio, quorum quidem ipsa confirmabit fovebitque in advenas auctoritatem, suffragante etiam opera consociationum emigrantibus adiutandis, quarum beneficam actionem, quocumque res postulaverit, diriget, divino munere poterit et quae sint, pro varietate regionum, necessitates emigrantium cognoscere et quae peropportuna visa fuerint malorum remedia decernere. Confidimus autem fore, ut quicumque catholicam rite colunt fidem, opus tam sanetum in salutem fratrum institutum precibus atque etiam opibus pro sua quisque facultate, promovere velint, praesertim cum pro certo habere debeant Summum Pastorem et Episcopum animarum nostrarum sua ipsorum caritatis officia amplissimo in caelis prae-mio remuneraturum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die xv mensis Augusti MCMXII, Pontificatus Nostri anno decimo.

PIUS PP. X.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

De quibusdam rei biblicae commentariis in sacra Seminaria non admittendis.

Prohibetur omnino, quominus in Seminaria, ne ad consultationem quidem, introducatur opus Paderbornae nuper editum quod inserbitur: *Kurzgefasstes Lehrbuch der speziellen Einleitung in das Alte Testament*, auctore D. CAROLO DOCT. HOLZHEY, in quo iuxta neotericas rationalismi et hypercriticae theorias de libris Veteris Testamenti fere omnibus, ac potissimum de Pentateucho, de libris Paralipomenon, Tobiae, Iudith, Esther, Ionae, Isaiae et Danielis, sententiae audacissimae propugnantur, quae antiquissimae traditioni Ecclesiae, venerabili SS. Patrum doctrinae et recentibus pontificiae Commissionis Biblicae responsis adversantur, et authentiam atque historicum valorem sacrorum Librorum nedum in dubium revocant, sed pene subvertunt. Quum vero alia habeantur similis spiritus commentaria in Scripturas Sanctas tum Veteris tum Novi Testamenti, ceu scripta plura P. LAGRANGE et recentissimum opus, cui titulus: *Die Heilige Schrift des Neuen Testaments*, editum Berolini an. 1912, auctore DR. FRITZ TILLMANN, haec quoque expungenda omnino sunt ab institutione clericorum, salvo ampliore de iis iudicio ab illa auctoritate ferendo ad quam de iure pertinet.

(Ex decr. d. xxix mens. Iunii MCMXII).

De decreto »Maxima cura».

Proposito dubio «An vigeat in Australia novissimum de amotione administrativa ab officio et beneficio curati decretum «*Maxima cura*,» responsum est: Affirmative.

Ex Congregatione de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis.

De eleemosynarum emendationibus Orientalibus non permittendis absque venia S. Congregationis.

Per «epistolas circulares» ad locorum Ordinarios Latini Ritus, d. i mens. Ianuarii MCMXII, in *Acta Apostolicae Sedis* relatas d. xv mens. Augusti, hae, quae sequuntur, cautiones da re statutae sunt :

I. — Ordinarii in sua dioecesi nullum Orientalem admittant pecuniae collectorem cuiusvis Ordinis vel dignitatis ecclesiasticae, etiamsi exhibeat authentica documenta quolibet idiomate exarata et sigillis munita, nisi authenticum ac recens praebat Rescriptum Sacrae huius Congregationis, quo facultas eidem fiat, tum a propria diocesi discedendi, tum eleemosynas colligendi.

II. — Quod si, neglectis hisce Apostolicae Sedis mandatis, aliquis Orientalis ecclesiasticus vir, etiamsi commendatitiis Praelati sui letteris munitus, Europam, Americam vel alias peragret regiones ad eleemosynas colligendas, Ordinarius loci in quo versatur, eumdem moneat de vetita emendatione, eumque non admittat ad Missae celebrationem nec ad aliorum ecclesiasticorum munerum exercitium.

III. — Si autem pervicacem se prodat, Ordinarius, etiam per publicas ephemerides, clerum et fideles moneat huiusmodi pecuniae quaestus ut illicitos et reprobatos habendos esse.

IV. — Demum, si aliquod dubium oriatur, Ordinarii ad hanc Sacram Congregationem referant, quae opportuna providebit.

De modo tenendo antequam Orientales in Instituta Religiosa Latini Ritus admittantur.

Quum postremis hisce temporibus compertum sit, non semel Orientales in religiosa Instituta latini ritus receptos fuisse cum testimonialibus quidem litteris Ordinarii orientalis, sed inconsulta prorsus Apostolica Sede ; Sacra haec Congregatio opportunum duxit Superiorum omnium Institutis religiosis Latini ritus, cu cuiuscumque formae ac utriusvis sexus, praepositorum, in mentem revocare obligationem qua tenentur, consuendi nempe in scriptis sacram hanc Congregationem antequam inter sodales suos aliquis Orientalis cooptetur. Porro in supplici libello casus perspicue proponendus est cum omnibus suis adjunctis ; et exprimi non solum debent nomen, agnomen, aetas, ritus et dioecesis postulantis, sed, si de viro agatur, praecipue explicandum est utrum admitti postulet in Institutum votorum solemnium vel simplicium, et an pro statu clericali vel laicali ; nam pontificium rescriptum, si favorable sit, diversimode conceditur pro diversitate casuum.

(Ex «Epist. circul.» ad Superiores Generales Religiosorum Latini Ritus d. xv mens. Iunii MCMXII).

Ex Congregatione de Religiosis,

De postulatu in Monasteriis votorum simplicium.

I. — Quaelibet Postulans in Monasteriis votorum solemnum et clausurae papalis poterit admitti, sine

praevia S. Sedis venia, servatis tamen aliis de iure servandis.

II. — Quaelibet Postulans, antequam Novitiatum ingrediatur, probanda erit per tempus, et iuxta modum, in propriis cuiusvis Monasterii Constitutionibus praescriptum.

III. — Si nihil in istis quoad haec statuatur, tunc probatio facienda est saltem per sex menses, ita tamen, ut Postulantes, intra septa Monasterii, probationis causa, admissae, utantur veste modesti coloris, diversa ab habitu Ordinis, quem non induant, nisi quando Novitiatum proprie dictum inchoatura sint.

(Ex decr. d. xv mens. Augusti MCMXII).

Ex Congregatione Rituum.

Instructio seu Responsum Reverendissimis locorum Ordinariis vel Superioribus Ordinum seu Sodalitatum postulantibus kalendarii proprii reformationem, vel expunctionem festorum, aut reductionem ritus.

Mens S. Rituum Congregationis est, ut, rite postulante rmo. Ordinario loci, seu Superiore Ordinis vel Sodalitatis, in posterum, de apostolica venia, relicto proprio calendario, adhiberi valeat calendarium Ecclesiae universalis, additis tantummodo festis, quae stricto sensu propria dici possunt, ad normam Constitutionis apostolicae *Divino afflato* et recentium rubricarum, tit. II, num. 2, litt. e. Quo in casu elenches festorum, adductis rationibus de eorum proprietate, ad S. Rituum Congregationem cum supplici libello transmittatur.

(Die xxv mens. Iulii MCMXII).

Dubium circa modulandas monosyllabas vel Hebraicas voces in lectionibus, versiculis et psalmis.

An in cantandis Lectionibus et Versiculis, praesertim vero in Psalmorum mediabantibus ad asteriscum, quando vel dictio monosyllaba vel hebraica vox occurrit, immutari possit clausula, vel cantilena proferri sub modulatione consueta? — *Resp.* Affirmative ad utrumque.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Septembri MCMXII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque munieris gratia Pontificem de more adverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem : Galici peregrini a Leone Harmel, equite torquato, coram adducti ; peregrinorum manus tum e Belgica, tum ex Italicis dioecesibus Alatrina, Verulana ac Ferentinensi ; Edmundus de Robilant, Comes ; De Rochefort, Comitissa, eiusque familia.

Pontificiae electiones.

R. p. d. Ioachim Joseph Vieira, episcopus Cearen. ad titularem sedem Imerien. transfertur, in eiusque locum de-

putatur r. p. d. Emmanuel de Silva Gorues, episc. tit. Mopsuestien.

R. d. Petrus Pisani, « Substitutus » dicitur S. Congregationis Consistorialis pro spirituali emigrantium cura.

Vita functi viri clariores.

Die XI mens. Septembris, Lugduni, annorum gravis Purpuratus Pater **Petrus Hector Coullié**, illius dioecesis archiepiscopus, vir scientia ac pietate insignis. Lutetiae Parisiorum natus an. MDCCCXXIX, episcopus titul. Sidonien. renuciatus an. MDCCCLXXVI, ad Aurelianensem sedem deputatus an. MDCCCLXXVIII, ad metropolitanam Lugdunensem promotus an. MDCCXCIII, in Sacrum Senatum cooptatus fuerat an. MDCCXCVII.

ANNALES

Libycum bellum.

Dum voces de pace inter Italos atque Turcas componenda in dies urgent, quinimo certae de re propositiones in Helvetia agitari non negantur, bellum hinc inde sine intermissione perducitur, Italis sese in locis occupatis munientibus atque gradatim deinde praetergredientibus, Arabicis contra gentibus, a Turcis incitatis, qui suas copias exponere vitant, amissa loca recuperare conantibus. Hinc factum est — (quotidianas fere in agros nunc hostiles excursationes tacemus) — ut die decima septima elapsi mensis Septembris acriter pugnatum sit ad Kasr el Leben et ad oppidum quod « Aaron domus » vulgo appellatur, tribusque diebus post ad Sidi Belhai collem. Memorabile quidem hoc proelium per multas horas perductum, in quo nostri adversus quindecim ferocissimorum hominum millia obnixi sunt, quos tandem magna cum caede fuderunt atque fugarunt.

Quo autem efficacius res in Africano bello sint in posterum processurae, Italicum gubernium militare Tripolitaniae imperium a Cyrenaicae divisit, Caneva illo prudentissimo copiarum hucusque ductore summo in patriam revocato, magnisque pro meritis honoribus aucto.

Turcarum interna negotia.

Turcarum internis motibus alias augendus, quamquam ab Europae nationibus Cretae insulae tutelam agentibus tempestive coercitus. Sexcenti enim insulae eiusdem incolae armis instructi in eo erant ut Samum proficerentur suamque operam adiungent ut et haec insula ab oppidente Turcarum praesidio sese redimeret. Europae pariter gubernia uno animo intenderunt, ne ignis male sub cinere in Balkanicis regionibus latens in flamas erumperet; prospereque ad hodiernum tempus negotium successit; erit tamen et in posterum? Faxit Deus.

Mauritanae res.

Incertus adhuc et anceps Mauritaniae status. Mangin chilarchae legiones, post dubios adversus El-Hibbam regnum appetentem successus, Marrakesch versus processerunt, ut Gallos captivos ibi detentos liberarent; pariterque Gallicae acies Casablanca profectae ad Safi et Mogador missae sunt ad nascentes seditiones suffocandas. Dictitant Caid rebellem, El-Hibbae faventem, arma deposuisse seque Gallorum imperio subiecisse; exinde fore ut eventus ad quietem tandem proxime assequendam manent: nota tamen est satis Mauritanorum fides, ut huiusmodi praesensionibus placide incumbere liceat.

PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Austria** totius Imperii delegationes Vindobonam convenerunt, quibus Berchtold Comes, exterarum rerum ad exteros administer, Imperii statum exposuit firmamque gubernii mentem de pace in Europa quovis modo servanda.

In **Batavia** reginae oratione, florentes civitatis conditiones affirmante, publici coetus sessiones resumptae.

In **Hungaria** novi tumultus contra coetus praesidem ita excitati, ut rursus necesse fuerit eos manu militari compescere.

In **Russia** ad diem XXIII mens. Octobris nova comitia indicta.

In **Serbia** administratorum collegium praeside Trifonis a munere abdicavit, in eiusque locum aliud suffectum, quod Nicolaus Pasics moderatur.

PER ORBEM

Die I mens. Septembris MCMXII Bonearensi ex urbe Argentinae reipublicae navis vapore acta, cui nomen *Colastine*, nunciatur ad Rivum Magnum cum classiariis omnibus demersa.

— d. III Gulielmus, Germanorum Caesar, ad Helvetiam proficiscitur ut bellicis illius civitatis copiarum exercitationibus intersit.

— d. IV Clarence, ad Gallicam urbem, ob gassum *grisou* improviso in fodinis incensum, cunicularii nonaginta miseram oppetunt mortem.

— d. VIII per Russicum Imperium omne prima centenaria commemoratione Borodinensis victoriae magna pompa celebratur.

— d. IX in Bucarestino aërodromo velivolus quidam, ex improvisa machinae laesione, in terram

praecipitans, in bellicae rei administrum offendit, quem graviter vulnerat.

— d. x Iaroslavus Urchviky poeta, Aemilii Fried nomine notus, Pragae obit.

— d. xi Eucharisticus internationalis annuus conventus sollemni ritu Vindobonae inauguratur.

— d. xiii Tokii regia funera Iaponiae Imperatori solvuntur. Nogi, heroicus ille Iaponiarum copiarum dux, eiusque uxor, defuncti Caesaris Manibus sese voventes, sibi mortem consciscunt.

— d. xviii ex ferreis axibus, quibus strata est via inter Chester ac Liverpool, Anglicas urbes, vaporitraha cum curribus aliquot viatoribus onustis, dum citato cursu procedit, egreditur. Machina frangitur; incendium inde exoritur, quo viatores plures horrendum in modum absumuntur.

— d. xx atrae procellae e Sinis nunciantur, unde nonnullae urbes et innumera oppida vastata sunt. Victimorum numerus ad quinquaginta hominum millia referuntur.

— d. xxiii Monachii obit Franciscus Iosephus, Bavariae dux e Wittelsbachensi genere, natus d. xxiii mens. Martii MDCCCLXXVIII.

Madriti autem repentina morbo trigesimum a gens annum corripitur Maria Theresia e Borbonica gente princeps foemina, Alfonsi XIII regis soror, Ferdinando consobrino nupta d. xii mens. Ianuarii MDCCCCVI.

— d. xxiv Badenweiler in oppido, quo infirmae valetudinis curandae gratia sese contulerat, ex hominum vita demigrat Von Marschall, dynasta, Germanorum civilis vir insignis, nunc gentis suaे Londini legatus.

— d. xxvi Gulielmus Marconi, telegraphi filis expertis ille inventor, automobili curru Genuam petens, in alterum automobilem currum malo fato occurrit vulneraque reportat.

— d. xxix per Hispaniam omnem opifices ferriviis addicti ex condicto a laboribus recedunt, passimque tumultus excitant, quos vi coercere oportet.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis ulterum eorum sibi cipiatur, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

SAC. FRANCISCI QUATTRONII *Juvenile Specimen Carmen Latinorum.* — (Carmen, Elegiae, Odae Sapphi-

cae, Epigrammata). — Genuae, ex typographia Iuventutis, MDCCXCIII. — (Ven. lib. 1).

ID. *Nova carmina.* (Elegiae, Ecloga, Interpretationes, Epigrammata). Indidem, an. MDCCXCVIII. (Ven. lib. 1,25).

AENIGMATA

I.

I (vulgo REBUS).

FUGIA

FUGE

II.

Sentiat ultrices mendax in amore sagittas,
Qui ferus inflxit vulnera plura mihi.
Me dedit exsanguem, stratum haec tellure reliquit,
Et secum rapuit quae mihi clausa domi.
Clauserunt nostras obliqua repagula valvas,
Quas bene munitas frangere nemo potest.
Reclusit tamen ille fores praedator, et audax
Rem rapuit, vacuos liquit et inde lares.
Te mea claudebant meliorem viscera partem;
Pars tamen existi, tu rubicunda, sinu.
Nunc pietate, precor, miserae mo eare parentis;
Raptori infido damna molsta geras.
Praedonem prosterne solo; procumbat ut amens;
Ut cito sternatur, crura furore quate.
Raptoris caput inde tua virtute flagella;
Quod rapuit, fibris egerat ille suis.

AUG. EIRO.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

THOMAE VALLAURI
HISTORIA CRITICA LITTERARUM LATINAR M

Aenigmata an. XV, n. VII proposita his respondent:

(1) Plura incomoda in sene.

(2) Viator — Vietor.

Ea rite soluta miserunt:

Lad. Lud. Podobinski, *Neo Sandecia.* — Ad. Kozlowski, *Petricoria.* — Alois. Cappelli, *Sensis.* — Claudio Lucensis - Iac. Menendez, *Madrito.* — Fr. Salvatore, *Syracusis.* — I. Ortiz Morelia. — Petrus Tergestinus - E. Burg. *Monachio.* — Rich. Müller, *Berolino.* — A. Bounin, *Aureliano.* — Rich. Brondel, *Biluricis.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Nic. Endrigi, *Salisbury.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — R. Richi, *Traianopolis.* — I. Martins, *Philadelphia.* — Frid Horwath, *Vindobona.* — Iac. Gomez, *Caesaraugusta.* — F. Ricci, *Florentia.* — Lud. Dubois, *Massilia.*

Sortitus est praemium:

RENATUS RICHI,

ad quem missum est opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE AENEIDE CUM FRUCTU LEGENDA
ACROASIS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE, ex officina Societatis Editricis Romanæ.

AD ROMAM

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

PERSONAE DRAMATIS

MELCHIAS, *Pontifex maximus.*

CONSTANTINUS.

MAXENTIUS.

PUBLIUS, *Senator.*SCIPIO, *Senator, sed christianus.*MUTIUS, *Sacerdos.*OCTAVIUS, *Puer captivus.*

CENTURIO.

VIGETIUS, *copiarum Maxentii dux.*

VITULUS

VELOX

{ milites.

Senatores, Sacerdotes ethnici, Pueri captivi, Milites et Cives.

PROLOGUS. (1)

Quando imperabat gentibus Maxentius,
 Habentes partem, dicitur quae occidua,
 Iugum ferebant animis agerrimis.
 Nil illo durius ! Nil incommodius !
 Enim christiani damnabantur bestiis,
 Eorum sanguis volvebatur pulveri,
 Occidebantur, tradebantur flumini !
 Heic videbas virgines et viduas
 Simul cum pueris matronas nobiles,
 Trahi suppicio, modo turpissimo !
 Iam putabantur surrexisse tempora
 Queis imperium premeret Tiberius.
 Adest at vigilans Melchias prae ceteris,
 Suo praesagiens qui ingenio mala,
 Suis ut opem opportunius conferat,
 Per Urbem territam sanguine et angoribus,
 Civibus anxius robur fert, auxilium,
 Maxentii pravos vitans satellites.
 Videlis augures ferentes infulas,
 Et quod laudabat prisca gens mortalium.
 Erat tunc temporis crimen, flagitium
 Mos christianorum, magnae et formidini.
 At nostra callent quae virtute tempora,
 Quam sunt diversa ! Possumus nos vivere
 Pro voluptate, liberoque ingenio.....
 Incedit liber Christianorum Pontifex !
 Oh ! cara cunctis aetas digna laudibus !
 Probatis ipsi meum vos consilium.....
 At subridetis.... Quid ? Contrarium creditis ?
 Heri quod actum fiet eras, in posterum ?

1)

Magnum paratur crimen in Pontifice, in ius vocatur, plectitur suppicio !
 Dum poena immerito paratur maxima,
 Deus potens manu liberat Melchiadem,
 Multos et liberat damnatos iuvenes ;
 Suae serenam pacem dat Ecclesiae.
 Nam Constantinus, pollet qui potentia,
 Adest Romae felix Victor cum copiis,
 Et ille in flumen properat Maxentius,
 Captus insidiis quas parat aemulo.
 Iuvat sed omne persecui curriculum,
 Per quod lectores vult poëta ducere,
 Ut res ad finem festino currat pede.
 Valete, nostris qui favetis pueris.
 Pacem ipsi vobis auspicantur alacres,
 Et Illi Sancto Maximo Pontifici
 Regit qui consilio, iurat Ecclesiam.

ACTUS I.

SCENA I.

Albescit. Scena est in foro, ubi Templum Martis adspicitur ad latus magno cum tripode.

QUATUOR CIVES.

(progrediuntur inter se colloquentes).

1. Novi quid est Romae ?
2. Nostri quod dicitur !
Adest iam filii Constantini exercitus,
Subactis Galliis et ipsis Alpibus,
Ferox contendit Romam nunc citissime.
Et urbes obtinet, fundit et copias
Eum quas contra colligit Maxentius.
3. Habere copias dicunt exiguae...
1. Ut olim Gedeon paucorum strenuus
Dux, fregit hostes fortes et innumeros,
Idem de nupero Constantino dicitur.
Nam dicebantur urbes quae tutissimae,
Cadunt et ultro se committunt Caesari.
2. Ei Mediolanum cito pandit ostium,
Ei Brixia cincta arcibus fortissimis,
Eique frustra ipsa Verona restitit.
Enim velut flumen, ruptis marginibus,
Aquis exundat campos replet et sata,
Sic urget nostra Constantinus agmina.
3. Adhuc salutis est nobis securitas ?

(Ad proximum numerum).

(1) Prologus erit ipse Octavius,